



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De femina, quae hospitalitatem Abbatibus Cisterciensis ordinis exhibuit, & ditata est, & eadem exclusa, pauperata, cap. 69

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

aliquando vidi talem statum huius monasterij, vt si venisset Episcopus, cum magna charitate & abundantia fuisset susceptus. Respondit ille: Duo fratres expulsi sunt de monasterio isto, nisi illi duo fuerint reuersi, nunquam bonus erit status eius; vnus eorum vocatur Date, & Dabitur vobis alter vocatur, sicque ab oculis eius recessit. APOLLONIVS: Puto aliquam fuisse personam angelicam, per quam Dominus primam fratrum illorum reuocare voluit charitatem. CAESARIVS: Portarius, cum esset laicus, nomina eadem retinuit, Abbatii & fratribus audita recitauit. Resumpta est hospitalitas, & coepit eis mox Dominus benedicere vt prius. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de illis, qui hospites colligunt, & eleemosynas tantum faciunt propter gloriam inanem? CAESARIVS: Tales dando sua peccant, & nihil aliud recipiunt, nisi quod quaerunt, scilicet laudem humanam. Alij sua Christo dant tantum propter vitam aeternam, & hos Dominus non deserit in praesenti. Quidam vero propter vtrumque, videlicet vt in praesenti ditiores fiant, & in futuro habeant vitam aeternam. Et istos Dominus saepe duplici mercede remunerat, hic per bona temporalia, in futuro per bona aeterna. Nonnulli vero sunt, qui etiam pauperes sua Christo largiuntur, & dum coeperint ab ipso ditari, tunc ex diabolica tentatione amplius tentati, manum suam retrahunt, egestatem timentes. APOLLONIVS: De hoc dicas exemplum.

## CAPVT LXIX.

CAESARIVS.

**N**ON est diu quod femina quaedam, adhuc forte viuens, & in quadam ciuitate manens, in qua Abbates nostri, euntes ad generale capitulum, hospitari solent, plures ex eis lucri sui causa hospitio suscepit. Sentiens sibi illa ad ingressum illorum benedici, scenum illis gratis dedit, deinde pabulum: quanto plus dabat, tato plus habuit. Et cum hospitio suorum meritis & oratione iam diues facta esset, bonisque omnibus abundaret, coepit defectum timere, & dicere intra se: Non potes diu sustinere tantas

P

expen-

expensas, modò cōtrahe manum, ne fortè paupertate incurras. Mira res, mox vt hospitibus stipēdia consueta negauit, & Dominus illi manum subtraxit; non enim in domo illa frater dabitur, habitare poterat, de qua germanus eius Date, expulsus erat. Eadē ad se reuersa, cum se egere conspiceret, de omissione penitentiam egit; & priora resumens opera, iterum ditari cœpit.

## CAPVT LXX.

## APOLLONIVS.

*Mat. 13.* **N**osse vellem, quomodo intelligendum sit quod Christus ait: Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. **CÆSARIUS**: Ei qui habet gratiam hospitalitatis, & charitatiuè, bonoque animo, & hilari vultu hospites suscipit, atque libetèr pauperes introducit, Domino procurante dabitur ei in præsentitantum, & nonnunquā, vt suprā dictum est, centuplum, & abundabit, & in futuro vita æterna. Qui autem gratiam hospitalitatis & eleemosynę nō habet, ita vt inuitus pauperes, hospitesque videat & recipiat, atque cum malo animo & murmure hoc ipsum, quod negare non potest, impendat, huic iusto Dei iudicio hoc ipsum quod habet in substantia tēporali, vel in seipso deficit, vel ab alijs rapitur atque distrahitur, nec fidelium eleemosynis augetur. **APOLLONIVS**: Satis placet expositio ista, & hoc propter exempla præcedentia. **CÆSARIUS**: Frequenter cōtigit, vt claustrales propter Christum largi locupletentur, & contra ipsius mandatum tenaces depauperentur. De utroque subiungam exemplum.

## CAPVT LXXI.

**I**N Meinvelt prouincia diœcesis Treuerensis sitū est quoddam cœnobium nigri ordinis, quod Lacus dicitur, nomen habens à re, personis possessionibusque pollens, & in religione cæteris terræ nostræ cœnobijs ampliùs florēs. Ad hoc die quadā Saxo quidā hospitandi gratia diuertit, qui multū charitatiuè illic susceptus, ædificatus recessit. Non multo post, diues